



Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An inter Alexandrum & Rebeccam intercedat impedimentum
cognationis Legalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

QUÆSTIO.

An inter Alexandrum & Rebecam intercedat impedimentum Cognationis Legalis?

Apparet quidem intercedere. 1. quia cognatio legalis oritur ex adoptione. l. 14. l. 17. l. 55. ff. de ritu nuptiar. & quidem in specie quoad lineam transversam inter adoptatam & filium naturalem adoptantis. ff. 2. Instit. de Nupt. l. 17. c. 1. & c. un. h. 2. ibi: Si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit, quamdiu durat adoptio inter me & ipsam, nuptiæ consistere non possunt. Sed unio prolium vel est adoptionis species, vel ei simillima. per l. 2. c. de Adopt. Gail. l. 2. observ. 125. n. 6. & 8. Si nempe fiat cognita causâ, intervenientibus Tutoribus vel Curatoribus & consanguineis liberorum, atque Judicis auctoritate; quia adoptio definitur esse actus legitimus, per quem is, qui naturâ non est, assumitur in filium (filiam) vel nepotem. Communis cum S. Thoma in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. ex l. 1. & l. 11. ff. de adopt. Per hanc verò unionem prolium liberi uxoris à marito assumuntur in liberos suos, consequenter in hoc casu Rebecca assumpta est in filiam Vidui, ma-

trem suam ducentis, adeoque facta est soror legalis Alexandri. 2. Ratio, cur impedimentum cognationis legalis ex adoptione provenientis introductum sit, fuit periculum iacotentiae & libidinum, in quas facile alias prolaberentur personæ sic conjunctæ per adoptionem, ex qua oritur specialis amor, familiaritas, & frequens cohabitatio vel perpetua; sed hæc ratio etiam datur in unione prolium, præsertim in nostro casu; ergo. 3. Si ex unione prolium non oritur impedimentum cognationis legalis, tunc ideo, quia non est strictè dicta adoptio; sed hæc ratio nihil probat, quia etiam adoptio simplex & imperfecta, qua quis auctoritate Judicis assumitur in filium, qui sui juris non est, nec transit in potestatem adoptantis, licet fiat hæres ab intestato, non tamen necessarius fundat impedimentum hoc. Gloss. in c. un. cit. in fin. Abb. Covarruv. Tolet. Pont. Gutierrez, Barbof. Palao, Gonzal. Clericat &c. quia textus sine distinctione inter ad-

optionem perfectam & imperfectam, h. e. inter *arrogationem*, qua quis sui juris autoritate Principis ita assumitur in filium, ut transeat in adoptantis potestatem patriam, fiatque hæres necessarius, sicut filius naturalis, & inter *adoptionem simplicem*, seu in specie, loquuntur: sed ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere. Accedit, quod de iure *Digestorum*, quo legalis cognatio introducta est, etiam per adoptionem in specie filius adoptivus in potestatem patris adoptantis transierit; quod, licet de Jure Codicis in l. 10. C. de *adopt. mutarum* sit, nihil tamen mutatum reperitur ratione cognationis.

Hæc tamen minimè attendenda esse respondit bene ille Canonista interrogatus, ac nullatenus Alexandrum & Rebeccam à meditato Matrimonio impediendos esse ex causa cognationis legalis. Fundamentum ipsius fuit omnino solidum & convincens; quia nempe impedimentum cognationis legalis SS. Canonès statuerunt tantum in cognationem legalem (seu à Jure Civili primitus introductam) ex adoptione provenientem. *can. 1. §. caus. 30. q. 3. rubr. & c. un. b. 1.* quæ nimirum fundatur in *adoptione*, seu in perfecta tantum, quæ dici solet *arrogatio*, ut habet probabilior & hodie communior sententia cum Sanch. Henriq. Perez, Conink, Tanner, Laym, Pirhing. seu etiam

in imperfecta; quæ simpliciter & specificè appellatur *adoptio*: atqui unio prolium non est verè adoptio & in sensu proprio ac stricto, in quo sumi debet adoptio in hac materia, ubi agitur de impedimento dirimente Matrimonii, quod est strictæ interpretationis; siquidem nec est adoptio simplex & specifica, nec arrogatio, partim quia non tam personarum, quàm bonorum conjunctio est ex principali intentione unionem hanc facientium, partim quia hæc unio prolium in Jure scripto est prorsus incognita, & sic de ea nihil in legibus constitutum: atqui adoptio vera & propriè dicta, quæ fundat cognationem legalem, consequenter & impedimentum Matrimonii, unice introducta est primitus à legibus seu Jure Civili, ac postmodum approbata & recepta à Jure Canonico: erubescimus autem sine lege loqui, & impedimentum statuere sine textu expresso inconveniens est. *Nov. 18. c. 5.* Neque consuetudo, per quam inventa est unio prolium, eidem tribuit cognationem legalem, minùs impedimentum Matrimonii.

Opposita facile removet, primum quidem negando *Min.* non enim talis Unio est species adoptionis veræ, sed potiùs simulacrum, adeoque adoptio vera ac propriè dicta non est, tum quia leges à quibus solis provenit adoptio, de hac

F ff 3

Unio.

Unione prorsus nihil sciunt vel statuunt, tum quia hæc Unio principaliter spectat bona parentum inter liberos diversi Matrimonij æqualiter dividenda, non conjunctionem personarum; per hoc autem, quod viduus & vidua conjungantur Matrimonio, liberi ipsorum sunt quidem respectivè privigni & privignæ, non verò adoptivi & adoptivæ. Igitur Rebecca facta quidem est privigna vidui nunc vitrici, non verò filia adoptiva, seu in filiam Legalem assumpta. *Secundum* dicendo, nullatenus rationem, etsi permitteretur eandem reperiri in unione prolium, quæ reperitur in adoptione, ad hoc sufficere, ut cognatio legalis & impedimentum Matrimonij asserendum sit, aliàs deberemus dicere, quod privigni & privignæ contraherent cognationem Legalem, quia etiam isti frequenter habitant simul, ac inde amorem & familiaritatem, consequenter periculum incontinentiæ oriri facile contingit. Ratio Legis non facit Legem, præsertim odiosam & impedimentum dirimens Matrimonij statuentem. *Tertium* negando *Min.* Etiam si enim transmitteretur, per adoptionem simplicem, imperfectam, & ut subinde vocatur, impropriam induci impedimentum cognationis Legalis

(quod tamen ego falsum esse existimo, & satis probasse mihi videor in meo *Candidato b. t.*) tamen inde non sequeretur, etiam per Unionem prolium induci, eò quod hæc neutiquam sit adoptio vere & propriè dicta, e contra adoptio simplex & imperfecta dici possit, & forte sit verè & strictè dicta adoptio, à Legibus introducta; saltem à Legibus agnita & introducta est; quando autem vocatur *impropria* (sæpius ac ordinariè dicitur *imperfecta* vel *specifica* seu in *specie*, aut *simplex*) sensus non est, quod propriè & verè non sit adoptio, vel saltem non magis propriè dicta, quàm Unio prolium, sed quia comparativè ad *perfectam*, seu ad arrogationem, minus est perfecta, eò quod adoptatus per illam non transeat in familiam & potestatem patris adoptantis, nec fiat hujus hæres necessarius, sicut filius naturalis legitimus: vel etiam in hoc sensu, quod non sit talis adoptio, per quam inducitur impedimentum cognationis Legalis Matrimonium dirimens, quod juxta nos

SS. Canones tribuunt
Soli Arrogationi.

¶ ¶

